M. ANTONII MVRETI I. C. AC CIVIS R.

2
145

INSTITVTIO PVERILIS AD M. ANTONIVM FRATRIS F.

EIVSDEM

MONODIA IN CHRISTOPHORVM Tuanum Principem Senatus Pariſienſis. Et in vtrumque Poëma

ANTONII CONSTANTINI NOTAE.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE, Excudebat Vincentius Accoltus,

CIↃ IↃ X X C I V.

IOANNIS DOMINICI COCANARII AD LIBRVM.

PRodi docte liber, libelle prodi
Sed non vt timidi ſolent libelli,
Quos manci metus arguit laboris.
Nam te ANTONIVS *optimus virorum*
Perfectum dedit, integrumq; fecit.
Prodi docte liber, nec inuidentis
Turbae verba time, nocenſq; virus.
Prodi tutus eris: libelle prodi.

NICOLAI COLANGELI AD Illuſtriſſimum adoleſcentem Io. Antonium Vrſinum.

ARmigero curuum ſi quis donarit aratrum,
Si quis decrepito martia tela ſeni.
Si chelyn ignaro lyricae quis miſerit artis,
Δῶρα quidem demens prorſus ἄδωρα dedit.
Sed tibi qui lepidum, ANTONI, *aureolumq; libellũ*
Donauit, fructus quos ſibi reddit ager,
Quid deceat cernens recte ſua dona locauit:
Sint & parua licet, ſunt tamen apta tibi.

Πέτρου Ἀρκούδου Κερκυραίου.

Μυρτίλου τὸ πόνημα πανάγλαον, αὐτοβόητον·
Δαιδάλεον, μουσῶν ἄνθεα διαφέρον.
Τί πλέον ἴδρις ἀνὴρ, ὦ Ζεῦ, πορίσαιτο βροτοῖσιν
Ἢ σοφίην χαρίεσσ' εἰς ἓν ἀγειρόμενος;

Ἰωάννου τοῦ Σωζομένου τοῦ Κυπρίου ὡς ἀπὸ τῆς βίβλου.

Δοιὰ ἀοιδῶν ἔργα περικλυτὰ φαντὶ πέλεσθαι.
Πρῶτον τερπωλὴν, δεύτερον ὠφελίην.
Σοὶ δ' ἄρ' ἐγὼ βαιήπερ, ὅμως μελίδειον ἀφειδῶς,
Ἐκπροχέω πλεῖον μοψοπίων σταγόνων.
Γεῦσαι πιερικοῖο ποτοῦ ζωαρκέος, ὅτι
Πύξατο Μυρτίλος, τῇ δὲ μελισσόνοος.

ANTONIVS CONSTANTINVS IO. ANTONIO VRSINO ADOLESCENTI ILLVSTRISSIMO S. D.

MVltis nominibus me Hannibali Sinibaldo debere fateor: ſed nullum eſt officium ex quāplurimis quae ille in me contulit, quo arctius me ſibi deuinxerit, quàm quòd mihi primum ad te, Ioannes Antoni adoleſcens illuſtriſsime, aditum aperuit. Nam quòd tu ita me humaniter excepiſti, ita comiter, quoties ad te veni, allocutus es, debeo quidem ob id tibi plurimum, illi tamen hoc totum acceptum fero. Ac ſaepe numero miratus ſum, quid eſſet cauſae,

cur tu talis adoleſcens, tali genere na tus, me infimae ſortis hominem tam benigne amplexus fueris, & talem te praebueris in me, qualem ne ſperare quidem auſus eſſem. Cumq́; in meũ, vt dicitur, ſinũ inſpexerim, nec quidquam cur à te talia expectare deberẽ, inuenerim, humanitatis tuae venit in mentem, quae ea in te eſt, vt cum generis nobilitatem, opes, diuitias, cetera talia cum alijs communia habeas, hanc vnam tibi tuo iure vindicaſſe videaris. Itaque tuos in iſta tenera adhuc aetate tantos in omni litterarum genere progreſſus qui mirãtur, iure id quidem illi faciunt: ego vero, qui hanc ſolam in te admiror, non temere id facere ipſe mihi videor. Etenim aequales tui, qui tibi, eruditione reſpondeant, inueniuntur: pauci illi quidem, ſed inueniuntur tamen. At qui tibi humanitate,

ac comitate conferri poſſit , nemo ex omni iuuẽtute nobilitatis Romanae reperietur . Ne autem vnquam talẽ in me voluntatẽ tuã male collocatã arbitreris, putaui partes meas eſſe, quacunque id ratione praeſtare poſſem , tibi aperire, quanta ſit contra mea in te obſeruantia. Et quia mihi domi res curta eſt, non ſum veritus aliunde mutuari, quod tibi offerrem. Has igitur M. Antonij Mureti aureas plane ſententias breuiſſimis quibuſdam meis notis illuſtratas, tibi dedico , dignas certe quae à te diligenter legantur. Plane enim

Floriferis vt apes in ſaltibus oĩa libant ,
Omnia depaſtus ſic ille eſt aurea dicta ;
Aurea, perpetua ſemp̃ digniſsima vita.

Equidem incredibili cum voluptate memini illius temporis, cum, domeſtica ipſius conſuetudine fruens , talia eum quamplurima ſub cenae fe-

re tempus, animi cauſa, nunc mihi, nunc mirificae indolis puero M. Antonio fratris ſui filio, dictantẽ audiebam? Neque dubito, quin tu & voluptatem prope eandem, & vtilitatem non vulgarem capturus ſis, ſi ea attente legere non grauaberis. Quamquam enim ea tua eſt ad virtutẽ indoles, vt per ſe, ſine vllis praeceptorum adminiculis, ad ſumma omnia peruenire poſſe videatur: vt tamen campi, quamlibet per ſe vberes, cultoris induſtria egent: ſic & ingenia quamlibet bona, talibus praeceptis exculta, meliora fiunt. Aſpicies igitur hic vel regulã quam ſequare, vel imaginẽ ingenij ac morũ tuorũ, in quã intuẽs, & tibi graturleris, & bonorũ omniũ auctori Deo, qui tibi hanc ad omnia honeſta propẽſionẽ, ꝓpe naſcẽti indidit, gratias ꝑpetuo agas. Vale. Romae prid. Kal. April. 1584.

M. AN-

M. ANTONIVS MVRETVS PRESBYTER

M. Antonio fratris F. S.

VTINAM *ea tibi eueniant, fili, quae me adduxerũt, vt te ſtatim poſt obitũ patris tui, fratris mihi longe cariſſimi ad me huc adduci, & in ſinu ac complexu meo educari voluerim. Volui autem illud praecipue, vt, quando florentiſſimum regnum, in quo vterque nati ſumus, Deo iuſtas poenas eorum quae à nobis peccata ſunt, exigente, ſaeuis iampridem tẽpeſtatibus agitatur, tu in hanc Chriſtianae religionis metropolin, tanquam in tutiſſimũ portum, ſubductus, vera pietate adhuc tener imbuare, & ijs moribus aſſueſias, qui Chri-*

ſtianum hominem decent. Cupio equidem et alia tibi contingere, quibus vita & tranquillior & honoratior redditur: ſed id, quod dixi, primum mihi ac praecipuum votum eſt: cetera ſunt, quaedã quaſi appendices & acceſſiones. Ut igitur voti compos fiam, debeo quidẽ id quotidianis precibus, vt facio, a Deo petere: neque tamen interea ceſſare, ſed omnia ſtudioſe facere ac procurare, quibus te meliorem & virtutis amantiorem poſſe fieri putem. Ea me cauſa impulit, vt praecepta quaedã ad formãdos mores pertinentia verſibus, quàm potui maxime, ad aetatis tuae captum accommodatis concluſerim, quae legens, & in primis litterarum rudimentis exerceare, & paulatim diſcas, quae tibi in omni vita ſeruanda ſint. Accipe hoc primum a me munuſculum fili, & vt eo te dignũ praeſtes, pro virium tuarum modulo, iam nunc operam dato. Romae. Kal. Ian. M. D. LXXVIII.

M. AN-

M. ANTONII MVRETI

150

Inſtitutio puerilis

AD M. ANTONIVM FRATRIS F.

ANTONII CONSTANTINI ad eam notae.

DVM tener es, Murete, auidis haec auribus hauri:
Nec memori modo conde animo, ſed & exprime factis.

DVM TENER ES. Praeceptis ad honeſtatem pertinentibus inbuendi ſunt molles adhuc & teneri puerorum animi. tenaciſſime enim haerent ea quae tunc combibuntur. adeo in teneris conſueſcere multum eſt, ait Virgilius; & huc pertinet illud Horatij.

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu.

Sed nihil profuerit ea tradi ſuo tempore, niſi auide hauriantur. nihil auide hauriri, ſi ſtatim effluant. ni-

hil memoria contineri, niſi exerceantur. Haec igitur omnia praecipiuntur his duobus verſibus.

In primis venerare Deum: venerare parentes:
Et quos ipſa loco tibi dat natura parentum.

IN PRIMIS. Imitatum ex illo Virgiliano, In primis venerare Deos. Conſtat autem, & ſemper inter omnes ſapientes conſtitit, pietatem in Deum fundamentum eſſe omnium virtutum.

VENERARE PARENTES. Proxime Deum colendi ſunt parentes, quos etiam Iamblichus ait eſſe θεῶν ἀγάλματα.

ET QVOS IPSA. Qui pueruli patre orbati ſunt, quod contigit ei ad quem haec ſcribuntur, honorem parentibus debitum transferre debent in eos a quibus educantur: quiq; ſunt eis parentum loco.

Mentiri noli: nunquam mendacia proſunt.
Si quid peccaris, venia eſt tibi prompta fatenti.

MENTIRI NOLI. Pythagoras dicebat, nulla re propius accedere homines ad Deum, quàm veritate. Herodotus a quinto anno aetatis vſque ad viceſimum ait Perſarum pueros haec tria tantum diſcere, equitare, iaculari, & verum dicere: idemq; ait nihil a Perſis mendacio turpius iudicari. Magna igitur laus eſt quam tribuit Attico Cornelius Nepos, quem ait neque mendacium dixiſſe neque pati potuiſſe dicentes. Recte igitur poſt praeceptum de cultu diuino, adiectum eſt praeceptum de amanda veritate,

ritate,cum Deus ipſe ſit veritas. Quoniam autem vtilitatis alicuius ſpecie plaerūnque adducuntur homines ad mentiendum: idcirco ſtatim cauſa illa remouetur his verbis NVNQVAM MENDACIA PROSVNT, quod idem dici poteſt de toto genere improbarum actionum, iuxta illud Homericum ὀυκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα.

SI QVID PECCARIS. Nulla res eſt, quae facilius puerulos adducat ad mentiendum, quàm cū aliqua in re peccaſſe ſe vident. hoc igitur vt amoueat, ait confitenti paratam eſſe veniam. Neque dubium eſt, quin facilius ignoſci debeat ei qui peccatum ſuū ingenue fatetur, quàm ei qui mentiens, peccatum peccato cumulat. Ariſtoteles quoque in Rhetoricis ait, Confeſſionem erroris efficacem eſſe ad veniam conſequendam.

Diſce libens. quid dulcius eſt quàm diſcere multa?
Diſcentem comitantur opes, comitantur honores.

DISCE LIBENS. Quod quiſque libenter facit idem etiam eximie facit. nam, vt veriſſime ait Ariſtoteles libro 7. Ethicorum, ea quidem voluptas, quae, cum quid agimus, aliunde percipitur, impedit & auocat nos ab eo quod agimus, eiuſq; perfectioni impedimento eſt: at ea, quæ ex eo ipſo quod agimus, capitur, adiumento eſt ad id melius & perfectius exequendum. Itaque qui libenter diſcit, multa etiam diſcit: quemadmodum ab Iſocrate iuniore dictum eſt. ἐὰν ἦς φιλομαθὴς, ἔσῃ καὶ πολυμαθής.

QVID DVLCIVS EST. Naturale hoc quoddam

quaſi

quaſi pabulum eſſe animorum & ingeniorum ait Cicero in Academicis. & Ariſtoteles 2. Rhet.ait, nihil eſſe dulcius quàm multa facile diſcere. Oſtendunt id exempla Architae Tarentini, Sophoclis, Archimedis, & aliorum, quae a Mureto ipſo collecta ſunt in oratione de ſtudijs litterarum. & a Pomponio Iuriſconſulto in l.apud Iulianum.ff. de fideicom.libert.refertur ſententia cuiuſdam, qui ait ſe etiam ſi alterum pedem in ſepulcro haberet, ad aliquid amplius diſcẽdum paratum fore. Dulciſſimum quidẽ eſt ſcire omnia, vt ait Sophocles: Sed quoniam id homini contingere non poteſt, ſequitur vt homini nihil ſuauius ſit quàm multa diſcere.

DISCENTEM COMITANTVR OPES. Eſt ne igitur diſcẽdum ſpe opum aut honorũ? non. Sed pueri nondum intelligere poſſunt, cognitionem rerum per ſe, etiam detractis talibus praemijs, expetendam eſſe. itaque excitandi ſunt etiam talibus praemijs,

. . . ut pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores, elementa velint vt diſcere prima.

Si quis te obiurget, male cum quid feceris, illi
Gratiam habe, & ne iterũ queat obiurgare caueto.

SI QVIS TE OBIVRGET. Moleſte plaerumque ferre ſolent pueri, cum obiurgantur: & eos tamen, cum ſaepe peccent, ſaepe etiam obiurgari neceſſe eſt. monet igitur, vt non modo non ſuccenſeat eis a quibus obiurgabitur cum male aliquid fecerit; ſed etiam id in beneficij loco accipiat, detq; operam

ne iterum eo nomine obiurgari queat.

Ne temere hunc credas, tibi qui blanditur, amicũ, 152
Peccantem puerum quisquis non corrigit, odit.

NE TEMERE. Vt abhorrent ab ijs a quibus obiurgantur, ita libenter audiunt eos qui ſibi blandiuntur. neque enim adhuc per aetatem poſſunt blandidicos & aſſentatores ab amicis diſcernere. at nihil eſt quo deteriores pueri fiant, quàm ſi quis eis etiam peccantibus blandiatur. Praeclare inſtituerat Lycurgus, vt Spartae quisquis ex ciuibus quemcunque puerum indecore aliquid facientem vidiſſet, eadem libertate & auctoritate eum obiurgare ac verberare poſſet, qua liberos ſuos. quin etiam turpe habebatur, ſi quis puer apud patrem ſuum queſtus eſſet, quòd ab alio verberatus foret, niſi pater eum duplo amplius verberaret.

Qui ſemel incautum blando ſermone fefellit,
Ille idem, dabitur quoties occaſio, fallet.

QVI SEMEL, Semel falli, humanum eſt. at à quo ſemel falſus ſis, ei denuo credere, ſtultitia eſt. quem enim ſemel malitioſum experti ſumus, eum ſemper pro malitioſo habendum, etiam Iuriſconſulti monent.

Nec cuiuis ſapiens, nec nulli credere debet.
Fallitur alter ſaepe, fidem ſibi detrahit alter.

NEC CVIVIS. Qui nemini fidem habet, indi-

gnus eſt, cui quiſquam fidem habeat. qui temere omnibus credit, effugere non poteſt, quin ſaepe fallatur, Vtrunque igitur fugiendum eſt, Verum enim eſt illud Heſiodi, vtrunque pernicioſum eſſe hominibus, & nimis credere, & nimis diffidere.

Πίστεις δ' ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας.

Muretus quoque ipſe in ſententijs graecis ait, nimiā quidem diffidentiam eſſe morbum improborum, nimiam autem credulitatem morbum vaecordium.

Si quid forte mali aut facias, aut mente volutes,
Vt lateas homines, certe Deus omnia cernit.

SI QVID FORTE MALI. Spes latendi, maxima peccandi illecebra eſt, nullum igitur potentius fraenum eſt, quàm ſi perpetuo cogitemus, Deum ea omnia quae a nobis & fiūt & cogitantur praeſentem intueri: & fieri quidem poſſe, vt quis in maleficijs hominum conſcientiam effugiat: Deo nuda & aperta eſſe omnia: eumq; , vt de Sole ait Homerus, πάντ' ἐφορᾶν, καὶ πάντ' ἐπακούειν. Praeclarus eſt Senecae locus in hanc ſententiam, epiſtola LXXXIV. Sic certe viuendum eſt, tanquam in conſpectu viuamus: ſic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inſpicere poſſit. & poteſt. Quid enim prodeſt, ab homine aliquid eſſe ſecretum? nihil Deo cluſum eſt. intereſt animis noſtris, & cogitationibus medijs interuenit. Sunt & in ſententijs graecis duo verſus qui eandem ſententiam continent: ſed eas ipſas aliquando explicabo.

Non niſi

Non niſi ſpectatis arcana ſodalibus effer:
Quodq́; tacere voles alios, prior ipſe taceto.

NON NISI SPECTATIS. Qui ſecreta ſua temere vulgant, iniuſte ab alijs taciturnitatem poſtulant, quam ipſi ſibi praeſtare non poſſunt. Merito igitur laudatur Metellus Senior, qui rogatus, vt ſecretũ quoddam ſuum panderet, Si ſcirem, inquit, tunicã meam ſecretorum meorum mihi conſciam eſſe, exuerẽ illam ſtatim & comburerem. Conuenit hoc praeceptum cum his verſibus Theognidis.

Πρῆξιν μηδὲ φίλοισιν ὅλως ἀνακοίνεο πᾶσι.
Παῦροί τοι πολλῶν πιστὸν ἔχουσι νόον.

SPECTATIS. δοκιμασθεῖσι. Tacitus: Tiberium Neronem maturum annis, ſpectatum bello. Multi autem modij ſalis edẽdi ſunt cum aliquo, antequam eum ſpectatum nobis dicere liceat. Vere enim Theognis, improbos etiam exiguo tempore: at bonos viros non niſi longa conſuetudine & diligenti obſeruatione poſſe cognoſci.

Χρόνος τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα δείκνυσι μόνος.

Nil cupide ſpecta, niſi quod feciſſe decorum eſt:
Turpia corrumpunt teneras ſpectacula mentes.

NIL CVPIDE SPECTA. Non temere Plato in libris de rep. & comoedos, & tragoedos excludit ab ea ciuitate quam inſtituit: quod alteri libidinem, alteri cupiditatem & impia facinora in animos ciuium inſerant. Merito eoſdem ſeueriſſima Lacaedemoniorum ciuitas numquam admittendos putauit. Eadem

de cauſa Solon cum Theſpin fabulas ſuas ex antiqua conſuetudine recitantem vidiſſet, baculo, quem manu geſtabat, terram percutiens, cito futurum eſſe dixit, vt quibus in theatro ſpectandis aſſueſcerent homines, iiſdem etiam in ſeriorum negotiorum tractatione vterentur. Male igitur conſulunt liberis ſuis, qui eos adhuc molles, &, vt Plato loquitur, cereos ad eiuſmodi ſpectacula admittunt.

Auerte impuris procul a ſermonibus aures:
Et qui illis gaudent, horum conſortia vita.

AVERTE IMPVRIS. Vetus eſt Menandri verſus, quo etiam S. Paulus in prima ad Corinthios epiſtola vti dedignatus non eſt,

Ἤθη καλὰ φθείρουσιν ὁμιλίαι κακαί. id eſt,
Mores bonos colloquia corrumpunt mala.

Vereq; ſcriptum eſt a S. Baſilio, Τὴν πρὸς τοὺς φαύλους τῶν λόγων συνήθειαν, ὁδόν τινα εἶναι ἐπὶ τὰ πράγματα. Socrates tales fere dicebat cuiuſque mores eſſe, qualis eſſet oratio: meritoq; commendatur illa ſiue lex, ſiue conſuetudo Perſarum, qua, vt ait Herodotus libro primo, quicquid facere turpe eſt, idē etiam dicere turpe eſſe ducebant.

HORVM CONSORTIA VITA. Praeclare enim dixit Theognis, bonorum conſuetudine bona condiſci, malorum autem familiaritate etiam ſi quid in nobis prius boni erat amitti.

Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ᾽ ἐσθλὰ διδάξεαι, ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμιχθῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.

Principio ſtudij radix inamoena videtur,
Sed profert dulces paruo poſt tempore fructus.

PRINCIPIO STVDII RADIX. Diſtichon hoc expreſſum eſt e nobili ſententia Iſocratis, quam ita expoſuit Aphthonius: Ἰσοκράτης τῆς παιδείας τὴν ῥίζαν πικρὰν ἔφη, γλυκεῖς δὲ τοὺς καρπούς. eam autem fuſius explicatam videre ſi quis velit, ex Aphthonio ipſo petat licet.

Ludo indulſiſti? ſubito euolat illa, voluptas.
Legiſti? vtilitas ſtudio percepta manebit.

LVDO INDVLSISTI? Videntur hi duo verſus effecti ex enthymemate Muſonij, quod exprimam latine: etſi metuo ne longe futurus ſim infra Graecae orationis ſuauitatem. Eſt igitur hoc. Si pulchri quid cum labore feceris, labor quidem praeterit pulchritudo autem manet. Sin quid turpe per voluptatem, euolat voluptas, manet turpitudo. Marcus Cato hoc antea dixerat his verbis. Cogitate cum animis veſtris, ſi quid vos per laborem recte feceritis: labor ille a vobis cito recedet: benefactum, dum viuitis, non abſcedet. Sed ſi qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit: nequiter factum illud apud vos ſemper manebit. Gellius libro xvj. capite primo.

Vt moderata quies prodeſt, vireſq; miniſtrat:
Sic hebetat corpus nimia, ingeniumq; retundit.

VT MODERATA QVIES. Somno moderato egét pueri:ſed immodico ſomno nihil pernicioſius. nam & obtuſiores atque hebetiores facit, & corporis proceritatem impedit. Vide Gellium capite xix. libri iiij.

Si prodeſſe alijs ſtudeas, tibi proderis ipſi:
At niſi ames alios, & te quoque nullus amabit.

SI PRODESSE ALIIS. Qui ſtudium ſuum confert ad alios adiuuandos, multo plus ſibimetipſi prodeſt, quàm alijs. Primum enim, quo nihil melius eſt, aſſuefacit ſe ad benefaciendum. deinde multos ſibi amicos adiungit:quo nihil eſt neque in rebus proſperis iucundius, neque in aduerſis vtilius. At qui ſuam tantum, vt dicitur, rem agit, & vt Epicurei ſapientem facere dicebant, nihil curat praeter ſemetipſum, & ipſe quotidie deterior fit, & amicis caret, ſine quibus vita vitalis eſſe non poteſt. Quiſquis igitur, quantum in ipſo eſt, aliorum commoda procurat, & de quàm plurimis bene mereri ſatagit, is vel maxime vtilitatibus ſuis ſeruit. Videtur haec ſentētia ſumpta ex Seneca, cuius haec ſunt in libro xj. epiſtolarum. Nemo non cum alteri prodeſt, ſibi profuit.

Succeſſus fauſtos nunquam admirare malorum:
Sera licet, tamen olim illos ſua poena ſequetur.

SVCCESSVS FAVSTOS. Ad hoc diſtichum illuſtrandum legendus eſt Plutarchi liber de ijs qui ſero a numine puniuntur: aut potius pſalmi aliquot in eandem ſententiam a Dauide diuinitus ſcripti.

nota eſt & Valerij Maximi ſententia: Lento quidem gradu ad vindictam diuina procedit ira, tarditatemq; ſupplicij grauitate compenſat. & illud Homeri ex octauo libro Odyſſeae,

Οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα. Κιχάνει τοὶ βραδὺς ὠκύν.

& illud Tibulli,

Ah miſer: etſi quis primo periuria caelat,
Sera tamen tacitis poena venit pedibus.

quod & ipſum ex Homero ſumptum eſt, qui Aten mollibus ac teneris pedibus eſſe ait. Horatius

Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede poena claudo.

Si tibi grata quies, iuuenis ne parce labori:
Dux ad honoratam eſt homini labor ipſe quietem.

Si tibi grata quies. Laborandum eſt in iuuentute, vt ſenibus cū dignitate quieſcere liceat. Qui enim laborem iuuenes fugiunt, plaerunque ſenes laborare coguntur: & hoc ſignificat verſus ille Epicharmi, quem Socrates, vt eſt apud Xenophontem, crebro in ore habebat.

Ὦ πονηρὲ, μὴ τὰ μαλακὰ μώεο, μὴ τὰ σκληρὰ ἔχῃς.

Inſpice te in ſpeculo: et bona ſeu tibi forma videtur,
Moribus obſcoenis illam foedare caueto:
Seu tibi ſubtraxit vultus natura decorem,
Ingenio, vt formae compenſes damna, labora.

Inspice te in specvlo. Hoc quoque praeceptū Socraticum eſt, celebratum a Xenophonte,

Plutarcho & alijs. Extat & ab ipſo Mureto quinque verſibus expreſſum in ſententijs Grecis.

Nil facito, quod turpe putes feciſſe videri:
Et cura, vt multis tibi ſis pro teſtibus ipſe.

NIL FACITO. Natura comparatum eſt, vt qui quid turpe facturi ſunt, tenebras & ſolitudinem querant, aſpectum & conſcientiam omnium, quo ad eius fieri poteſt, refugiant: ſi quis igitur hoc a ſe obtinere poſſit, ne minus ſemetipſum, quàm alios reuereatur, etiam ſolus verebitur ea facere, quae praeſentibus alijs non auderet. ſapientiſſimm igitur praeceptum eſt, quod his verſibus continetur, vt maxime vereatur quiſque ſe, & cuius alios ſibi cõſcios eſſe nollet, eius ne ſe quidem ſibi cõſcium eſſe patiatur. Eſt autẽ praeceptum Pythagorae in ijs carminibus quae aurea vocantur.

. . . πρήξεις δ' αἰσχρόν ποτε μήτε μετ' ἄλλου
Μήτ' ἰδίῃ πάντων δὲ μάλις' αἰσχύνεο σαυτόν.

Vt nos pauca loqui, plura autem audire moneret,
Linguam vnam natura, duas dedit omnibus aures.

VT NOS PAVCA LOQVI. Ad Aeſopum Phrygem refertur. conſtat autem vtrunque in laude poni & parce loqui, & cupide audire: meritoque laudatur veteris poetae verſus,

Σιγᾶν θ' ὅπου δεῖ, καὶ λέγειν τὰ καίρια.

Praecipue autem hoc in iuuenibus locum habet. multa enim diſcere neceſſe habent: & Ariſtoteles auditũ

ait

ait eſſe ſenſum diſciplinae. & ſapiētiſſimus Hebraeorum, etiam eum qui ſapiens ſit, ſi libenter audiat, ſapientiorem fore. neque iniuria Pythagoras quinquennium tacere iubebat adoleſcentes, qui ſe ei in diſciplinam dabant.

Ἡ γὰρ σιωπὴ κόσμος ἀσφαλὴς νέῳ.

Vide Plutarchum in commentario de audiendo.

Quae ſeruare voles, ne crebro inuiſere parce:
Namque minus furē metuunt quae ſaepe videntur.

QVAE SERVARE VOLES. Negligentia dominorum nihil eſt in re familiari pernicioſius. Eſt autem praeceptum M. Varronis quod hic ponitur capite xxij. libri primi de re ruſtica. Quae res quotidie videntur minus metuunt furem.

Blanditur primo, ſed perdit inertia famam:
Aſpera res primo eſt, ſed fert induſtria laudem.

BLANDITVR PRIMO. Ad hoc diſtichon illuſtrandum vide poema Auſonij, quod falſo Virgilio tribuitur, de littera Pythagorae. Vide etiam colloquiū Voluptatis & Virtutis cum Hercule, quod ex Prodico refert Socrates apud Xenophontem libro ſecūdo commentariorum; quem totum locum latine reddidit Budaeus in libro de ſtudio inſtituendo. & tale quiddam fingit Silius contigiſſe Africano. Vide etiā Philoſtratum libro ſexto de vita Apollonij.

Aut vinum ne tange, aut multa prolue lympha:

Cum vino indulges, igni puer adijcis ignem.

AVT VINVM NE TANGE. Plato libro ij. de legibus, pueris negat permittendum eſſe vſum vini ante annum decimum octauum, & ait eos qui aliter faciunt, πῦρ ἐπὶ πῦρ ὀχετεύειν. Et praematuro vini vſu furorem quendam ingenerari hominibus. Idem narrat apud Carthaginienſes legem fuiſſe ne quis in exercitu vinum guſtaret, ſed toto expeditionis tempore, ſolius aquae potu in caſtris vterentur. Item vt in vrbe neque ſerui, neque ancillae vinum vnquam guſtarent: ac ne magiſtratus quidem toto illo anno, quo ius dicebant: neque gubernatores nauium, neque iudices, quamdiu illo munere fungerentur. praeterea ne ij quidem, qui in conſilio de rebus grauibus ſententiā dicturi eſſent. Item vt de die nemo in vrbe vinum biberet, niſi aut exercitationis, aut morbi cauſa: ac ne noctu quidem ij patres familias, matronaeq; ipſorum, qui ea nocte liberis operam daturi eſſent. Romae quoque mulieribus perdiu vinum bibere non licuit: inſtitutumq; ob eam rem, vt cognatos oſculo ſalutarent, vt anhelitus ipſe fidem faceret eas abſtemias eſſe. hodie illa tanta ſeueritas remiſſa eſt.

Fac tibi ſit vultus comis, ſermoq; modeſtus,
Sic multos facile tibi conciliabis amicos.

FAC TIBI SIT VVLTVS COMIS. Multi ſunt, qui truculentia quadam & feritate aſpectus odium ſibi conciliant: quod Caligulam etiam adhibito ſtudio feciſſe traditum eſt, quin & Druſillam non alio

firmiore

firmiore indicio ſui ſeminis eſſe credebat, quàm feritatis: quae illi tanta ſtatim ab infantia fuiſſe dicitur, vt infeſtis digitis ora & oculos ſimul ludentium infantium inceſſeret. contra autem comitas vultus primo ſtatim aſpectu omnium ſibi amorem conciliat: praeſertim ſi eam ſermonis etiam modeſtia ſubſequatur. Ita autem hîc dicitur vultus comis, vt apud Liuium, frons comis libro primo. Excepti hoſpitio ab Tullo blande ac benigne, comi fronte, comiter regis conuiuium celebrant. quem locum eo citare volui, vt emendarem. nam in omnibus vulgatis libris duae illae voces, COMI FRONTE, deſiderantur: quae tamen leguntur & in alijs veteribus, & in vno qui apud Muretum eſt.

Pauperiem ne cui miſero exprobraueris vnquam:
Cuius munus opes, eiusdem eſt munus egeſtas.

PAVPERIEM NE CVI. Vt corporis morbos cuiquam exprobrare ſtultum eſt, praeterquam ei, qui per ignauiam aut per intemperantiā eos contraxerit, quod praeclare Ariſtoteles monet: ita pauperies nemini probro eſt, niſi qui aut inertia & deſidia in eam inciderit, aut patrimonium inhoneſtis artibus diſſipārit. Paupertas quidem ipſa per ſe tam longe abeſt ab omni turpitudine, vt praeſtantiſſimi quique ex omni antiquitate pauperes fuerint. Pauper fuit Phocion, pauper Miltiades, pauper Socrates: ex Romanis Poplicolae, Menenij, Curij, Fabricij, Camilli, alijq́; praeſtantiſſimi viri pauperes fuerunt. Immo vero non magis dedecori erat ex opibus in paupertatem incidiſſe,

quàm in patritá & auitá paupertate nõ perſtitiſſe. Notum eſt quid M. Craſſo obiectum fuerit. Tu ſi vir bonus eſſes, tam cito ad tantas diuitias perueniſſes? Nulli igitur exprobranda paupertas eſt: praeſertim cum ita fundatas ac conſtabilitas opes ſuas habeat nemo, quin puncto temporis ad mendicitatem redigi poſſit. Eſt autem hoc quoque praeceptum Theognidis.

Μή ποτέ μοι πενίην θυμοφθόρον ἀνδρὶ χαλεφθεὶς,
Μηδὲ ἀχρημοσύνην Κύρνε κακὴν προφέρε.
Ζεὺς γάρ τοι τὸ τάλαντον ἐπιῤῥέπει ἄλλοτε ἄλλω,
Ἄλλοτε μὲν πλουτεῖν, ἄλλοτε δ' οὐδὲν ἔχειν.

Similis eſt & Iſocratis ſententia, nulli exprobrandam calamitatem. fortunam enim communem eſſe, neq; poſſe, quid futurum ſit prouideri. Μηδενὶ συμφορὰν ὀνειδίσῃς. κοινὴ γὰρ ἡ τύχη, καὶ τὸ μέλλον ἀόρατον.

CVIVS MVNVS OPES. Sumptum ex xj. capite Eccleſiaſtici, vbi ita ſcriptum eſt; πτωχεία καὶ πλοῦτος παρὰ κυρίου ἐςί.

Semper opum ſtudio praeſer virtutis amorem.
Non opibus virtus, ſed opes virtute parantur.

SEMPER OPVM STVDIO. Plato omne aurum quod ſupra quodq; infra terram eſt, cum virtute comparandum negat. & Theognis cum dixiſſet multos improbos diuites eſſe, multos autem viros bonos, pauperes, ſtatim ſubijcit multo pluris tamen faciendam eſſe virtutem: quòd haec firmum quiddam & ſtabile ſit: pecuniae autem modo ad hos modo ad illos tranſeant. Socratis autem eſt, quod ſtatim ſubijcitur, Virtutem opibus parari non poſſe,

at opes

at opes virtute parabiles eſſe. neque non huc pertinet, quod Pericles dixiſſe fertur, qui cum generum virum bonum & induſtrium opulento ſed ignauo antepoſuiſſet, cauſam eius rei rogatus, malle ſe reſpondit virum ſine opibus, quam opes ſine viro. Facile autem eſſe viro bono & erudito opes, ſi velit, parare, argumēto eſt vel id quod de Thalete Mileſio ab Ariſtotele in politicis, & a Plinio narratur.

NON OPIBVS VIRTVS. Quod hic de virtute dicitur, idem dicit de gloria Iſocrates. Δόξῃ μὲν χρήματα κτητὰ, δόξα δὲ χρημάτων οὐκ ὠνητή.

Diſce, & quae diſcis, memori ſub pectore conde.
Aut facies tantundē ac ſi cribro hauſeris vndam.

DISCE ET QVAE DISCIS. Vt cibus, niſi contineatur in ventriculo, inutilis eſt: ita quicquid diſcitur, ſi ſtatim excidat, inutile. Vereq; Fabius libro xj. capite ſecundo, fruſtra doceri nos ait, ſi quicquid audimus praeterfluat. Videtur autem ſecundus verſus reſpicere ad fabulam Danaidum, quae plenis rimarum vaſis aquam haurire, eamq; in dolium, quod ipſum quoque pertuſum eſt, apud inferos congerere dicuntur. Neque enim vnquam illarum dolium expletur, neque animus eius, qui eorum qui didicit, ſtatim obliuiſcitur. in pueris autem praecipue exercendam eſſe memoriam, & Quintilianus & alij tradiderunt.

Dulcia ſint quāuis, nūquam tamē appete quae ſunt
Aut damnum allatura, aut incuſſura pudorem.

DVL-

DVLCIA SINT QVAMVIS. Nihil eſt quod magis homines inuitet ad peccandum, quàm voluptas: ideoq; eam Plato eſcam malorum vocabat. monet igitur, vt cum aliqua nobis ſuauitatis illecebra obiecta eſt, ne ſtatim nos abripi ſinamus: ſed prius reputemus ipſi nobiſcum, nunquid ea res, quae nos ad ſe allicit, aut damno aut probro futura ſit: vt ſi vel alterutrum, vel etiam vtrunque ex ea impendere videamus, ab ea ſuſcipienda deterreamur.

Iraſci noli temere. nil fœdius ira:
Quā quaecūque mouere ſolent, ea temnere laus eſt.

IRASCI NOLI TEMERE. Non omnino vetat iraſci. etenim qui omnino non iraſcitur, ſtupidus videtur, vt ait Ariſtoteles quarto Ethicorum. Et iracundiam in pueris non ferendam modo, ſed & laudandam, vt quae ingenij ſignum ſit, Politianus integro libello docere conatus eſt. non igitur omnino iraſci vetat, ſed temere iraſci.

NIL FOEDIVS IRA. Seneca. Vt ſcias inſanos eſſe, quos ira poſſedit, ipſum illorum habitum intuere. nam vt furentium certa indicia ſunt, audax & minax vultus, triſtis frons, torua facies, citatus gradus, inquietae manus, color verſus, crebra & vehementius acta ſuſpiria, ita iraſcentium eadē ſigna ſunt. neſcias utrum magis deteſtabile vitium ſit, an deforme.

QVAM QVAECVNQVE. Leuia plaerunq; & contemnenda ſunt, quae nos ad iram commouent. Seneca. Friuolis turbamur & inanibus. taurum co-

lor rubicundus excitat: ad vmbram aſpis exſurgit. vrſos, leonesq; mappa proritat, omnia, quae natura fera, ac rabida ſunt, conſternantur ad minima. Idem inquietis ac ſtolidis ingenijs euenit.. rerum ſuſpicione feriuntur.

Venti agitant celſis poſitas in montibus ornos.
A quibus in media tuta eſt arbuſcula valle.
Sic & opes agitant maiora pericula magnas:
Tutior anguſtos comitatur vita penates.

VENTI AGITANT. Eleganti comparatione docet tutiorem eſſe vitam eorum, qui mediocribus opibus inſtructi ſunt, quàm eorum quos magna opũ copia & magna potentia inuidioſos facit. potentes inuidiae expoſiti ſunt: tenues contemptui. optima mediocrium condicio. Recteq; Solon,

Πολλὰ μέσοισιν ἄριστα. μέσος θέλω ἐν πόλει εἶναι.

Horatius.

Saepius ventis agitatur ingens
Quercus, & celſae grauiore lapſu
Decidunt turres, feriuntq; ſummos
Fulmina montes.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obſoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.

Pauca loqui puero ſed tempeſtiua, decorum eſt:
Haec etenim ingenium res indicat, illa pudorem.

PAV-

PAVCA LOQVI PVERO. Pueros ornat ſilentium. eſt enim argumentum modeſtiae. ſed qui nimis taciturni ſunt, hebetes plaerunque & obtuſi eſſe conſueuerunt. contra autē qui natura garruli ſunt, oblectamento quidem eſſe ſolent audientibus: ſed niſi tempeſtiue coërceantur, procaces ac petulantes euadunt. optanda igitur in puero eſt ea indoles, vt & taceat ipſe, loquentibus natu grandioribus, auideq; illos diſcendi ſtudio audiat: & interrogatus, argute atque ingenioſe reſpondeat. nam & modeſtum eſſe ſe oſtendet & ſolertem atque acutum. Tale quiddam in Lacedaemoniorum pueris a Xenophonte laudatur.

Scire cupis quae ſit famae via certa parandae?
Talem te praeſta, qualem te poſcis haberi.

SCIRE CVPIS. Socrates tutiſſimam & quaſi compendiariam viam ad famam eſſe dicebat, ſi quis talis eſſe ſtuderet, qualem ſe haberi vellet. Xenophon libro ſecundo commentariorum. Cicero de officijs libro ſecundo.

Verbera non metuet, metuet qui iuſſa magiſtri:
Haec qui contemnet, merito miſer illa timebit.

VERBERA NON METVET. Vt in uiris, qui leges maxime metuunt ſecuriſſime viuunt: contra autem qui non metuunt leges, in perpetuo verſantur accuſatorum & iudicum metu: ita in pueris, qui maxime magiſtrorum iuſſa metuunt, minime metuunt verbe-

verbera. Similis ſententia eſt Syneſij in epiſtolis. ἀφοβία μεγίστη τὸ φοβεῖσθαι τοὺς νόμους.

Quàm felix puer eſt, virtus in quo anteit annos.
Illum omnes meritis certatim laudibus ornant:
Et ſpectant cupide, & felicia cuncta precantur.
At contra nemo alloquio dignatur inertes.
Spernuntur cunctis, & vulgi fabula fiunt:
Vix oculis pater ipſe illos ſatis aſpicit aequis.

QVAM FELIX PVER. Hi ſex verſus ſatis per ſe perſpicui ſunt.

Non tantū in praeſens obſunt peccata: ſed hoc plus,
Ad mala quod procliuē animū adſuetudine reddūt.

NON TANTVM. Socratica ſententia eſt. conſtat autem ex Ariſtotele libro ſecundo & tertio Ethicorum frequentatis eiuſdem generis actionibus habitum effici: quamquam autem in poteſtate noſtra eſt quid agamus: vbi tamen ſaepe & diu agendo vitium contraximus, difficile eſt abducere ſe a diuturna & inueterata conſuetudine. Quare magno ſtudio cauere debemus ne peccemus: propterea quod ſaepe peccando contrahimus habitum, qui vbi ſemel radices in animo egit, non niſi maxima cum difficultate euelli & extirpari poteſt.

Quae bona ſunt, ſectare: etiam ſi dura videntur
Principio. longus paulatim ea molliet vſus.

Crede mihi, quamuis ingentia, Poſtume; dones,
Auctoris pereunt garrulitate ſui.

Vtilitas quoties pugnare videtur honeſto,
Ne dubitare quidam fas eſt, quin vincat honeſtas.

VTILITAS QVOTIES. Cicero primo de legibus. Recte Socrates eum execrari ſolebat, qui primus vtilitatem ab honeſtate ſeiunxiſſet. id enim querebatur caput eſſe exitiorum omnium. Idem etiam tradit ſub principium libri tertij de officijs: quo in libro tota haec quaeſtio ab eo copioſiſſime explicatur.

Sub laceris crebro virtus latet aurea pannis,
Cum ſtolidas aurum pecudes & purpura velet.

SVB LACERIS. Vulgus e veſtitu, atque ornatū iudicare plaerunque de hominibus ſolet: in quo tamen ſaepiſſime fallitur, cum & a Graecis olim dictū & a Plauto poſtea repetitum ſit, ſub ſordido palliolo ſaepe latere ſapientiā. In vita Terētij legimus eū cū ab aedilibus iuſſus eſſet Andriā ſuam recitare Caecilio antequam ageretur, veniſſe ad Caecilium coenātem, & quòd erat contēptiore veſtitu, initium fabulae in ſubſellio reſidentem legiſſe: ſed poſt paucos verſus inuitatum vt accumberet, coenaſſe vna, deinde cetera percurriſſe non ſine magna Caecilij admiratione. At contra, Euangelo Tarentino, cum ornatus ingentis pretij veſte, corona etiam aurea redimitus ad laureae ſimilitudinem conflata, cuius folia quidem ex auro erant, pro bacis autem pendebant ſmaragdi: cytha-

C ram fe-

ram ferens inauratam multiſq; gemmis diſtinctam, in Pythijs canere voluiſſet, magnámq; ſui expectationem concitaſſet, vt, ſimul atque canere coepit, riſu, clamore, ſibilis exploderetur. Hiſtoriam facetiſſime perſequitur Lucianus in libello quo exagitat quendá, qui multis libris coemendis, doctum ſe videri volebat. Non igitur e veſtitu, ſed e dictis factiſq; de vnoquoque iudicandum eſt.

CVM STOLIDAS AVRVM. Alludit ad dictum Diogenis, qui diuites indoctos, vocabat pecudes aureo vellere.

Nil laudis cauſa facito: & tamen omnia laudem
Quae tibi conciliare queunt, ea ſedulus vrge.

NIL LAVDIS CAVSA. Qui laudem ſibi in rebus agendis proponunt, ventoſi & ambitioſi ſunt: & corpori vmbram, veritati imaginē anteponere videntur. & tamen vix eſt vt ſine aliquo laudis ſtimulo labores ad virtutem & eruditionem comparandam neceſſarij a iuuenibus perferantur. ſuadendum igitur eis eſt, vt neque laudem, tanquam praecipuum quoddam bonum ſequātur: & tamen nihil praetermittant eorum quibus vera laus conciliari poteſt.

Diuitias nec amare nimis, nec ſpernere debes.
Quāquā etenim nequeūt facere ac praeſtare beatū,
Magna tamen vitae ſunt inſtrumenta gerendae.

DIVITIAS NEC AMARE NIMIS. Qui diuitias nimis amant, auari ſunt: qui contemnunt, parum prudentes.

detes. ſine diuitijs enim,vt ait Ariſtoteles primo Ethicorum, multa, quae praeclara & laudabilia ſunt, commode effici non queunt. Itaque praeclare ſapientiſſimus ille hebraeus a Deo ſibi neque diuitias, neq; paupertatem poſtulat. Eleganter autem diuitiae comparantur cum inſtrumentis. vt enim lyra, exempli cauſa, bonum lyricinem non facit; ſed tamen bonus lyricen ſine lyra munus ſuum exercere non poteſt: ita diuitiae beatum quidem non faciunt, ſed tamen inſtrumenta ſunt ad multas res gerendas neceſſaria. Neque obſtat quod in ſacris litteris dicitur pauperes beatos eſſe, & diuitibus difficile eſſe ingredi in regnum Dei. nam illic pauperes dicũtur, qui ad diuitias animum non adijciunt, ſiue illas habeant, ſiue non habeant: & ita pauper eſſe aliquis etiam in maxima opum affluẽtia poteſt. ijs autem diuitibus difficilis eſt aditus in regnum Dei, qui diuitijs ſuis fidunt, & ad eas cor, vt Dauid loquitur, apponunt.

Fac contentus eo quod contigit vſque fruaris:
Sic tamen vt nunquam meliora requirerę parcas.

Fac contentvs. Vetus praeceptum eſt, τὰ μὲν παρόντα στέργειν, τὰ δὲ κρείττω ζητεῖν: Qui praeſentibus contentus non eſt, nunquam quieto animo eſt: qui meliora non quaerit, nunquam emergit.

Quã ſint cũcta hominũ varia atque incerta notato:
Ne te vnq̃ aut aduerſa premãt, aut proſpera tollãt.

Qvam sint cvncta. Imprudentis eſt, cum

res proſperae ſunt, confidere eas ſemper tales fore, recteq; Iſocrates in Areopagitico, tunc maxime metuendum eſſe ait, cum res noſtrae ita eunt, vt volumus. eademq; ratione nemini quamlibet duris & aduerſis in rebus abijcienda ſpes eſt. horum incommodorũ vtrunque facile vitabit is, qui diu ac diligenter rerum humanarum inconſtantiam & inſtabilitatem notauerit.

Pauca quidẽ haec: ſed quae ſtudio ſeruata perenni
Mirificos fructus progeſſu temporis edent.
Adſpiret tantum coeptis Deus: omnia cuius
Conſilio aeterno & certa ratione reguntur.
Quem tu & luce puer prima cum ſtrata relinquis
Impiger, & dulcem repetis cum veſpere ſomnum,
Supplicibus facito places ante omnia votis:
Ille tibi ingeniumq; ſagax, corpuſq; ſalubre,
Et multo meliora dabit. diffidere noli.
Tu modo ad illius ſemper refer omnia laudem.

PAVCA QVIDEM HAEC. Coronis haec quaedam eſt huius opuſculi: qua ei animum addit: & quemadmodum orſus erat a cultu diuino, ita in eundem deſinit: quod & ab eo tanquam principio ducenda ſint omnia, & ad eundem, tamquam ad finem, dirigenda. Secundum illud Theocriti,

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, καὶ εἰς Δία λήγετε Μοῦσαι.

OCTAVIO BANDINO S. D. N. VTRIVSQVE SIGNATVRAE REFERENDARIO V. C.

Antonius Conſtantinus S. D.

Vixi fere bienniũ cũ M. Antonio Mureto: & ſi quid in litteris promoui, illius domeſticae conſuetudini totum acceptum fero. Scio autem & illi te amicũ eſſe; & illum ſtudioſiſſimum tui. Ego autem vtrunque veſtrum, vt debeo, obſeruo. Cum igitur ille nuper poëma quoddam de Chriſtophori Tuani praeſidis Pariſienſis mortui laudibus ſcripſiſſet: idq; ego & ab alijs mirifice probari audirem, & a te laudari viderem: & intelligerem tamen, non-

nulla eſſe in eo, quae admonitionem aliquam deſiderarent: breues quaſdam notas ſcripſi, quibus & loca quaedam veterum poëtarũ, quae ille mihi imitatus videbatur, & alia nonnulla, quae ab ipſo inter loquendum acceperam, indicaui. Quamuis autem videbam munuſculũ hoc longe eſſe infra tuam dignitatem: tamen cum aliquid omnino tibi hoc tempore offerre ſtatuiſſem, putaui non tam quid tu mereretis, quàm, quid ego praeſtare poſſem, cogitandum. Accipies igitur hominis Galli lucubratiunculam valde, vt mihi videtur, pertinentem ad gloriam Gallici nominis, cuius te ſtudioſiſsimũ eſſe ſcio: & voluntatem tui modis omnibus demerẽdi meam boni conſules. Vale. ex paternis aedibus tuis VI. kal. Ianuar. M. D. LXXXIII.

M. AN-

M. ANTONII MVRETI PRESBYTERI I. C. AC CIVIS ROMANI MONODIA

IN OBITVM CLARISSIMI AC praeſtantiſſimi viri Christophori Tuani

Primi ſummæ Pariſienſis curiae Praeſidis.

ANTONII CONSTANTINI in eam notae.

FOrmidata diu, qua ſol oriturq́, caditq́,
Gallia, praeſtātū genitrix fecūda virorū,
Felix, o nimium felix, dū te vna voluntas
Vna fides iunctam concordi pace ligabat:
Nunc toties, miſeranda, tuo madefacta cruore,
Inq́, tuos ſaeuire coacta immaniter artus,
Adde nouos ſolitis queſtus, aſſuetaq́, pridem,
Infelix, lamenta nouis vlulatibus auge.

FORMIDATA DIV. Nulla gens antiquis temporibus bellicoſior aut formidabilior, quàm gens Gallorum fuit. Ariſtoteles libro tertio Ethicorum ait Gallos neque terraemotus, neque fluctus metuere. De eiſdem Aelianus libro duodecimo de varia hiſtoria narrat eos periculorum amantiſſimos eſſe, carminū quae

lingua ſua ſcribunt, vnam eis materiam eſſe, laudes eorum qui fortiter ceciderunt in bello, pugnare coronatos, trophaea excitare; quae & virtutis ſuae monumenta ſint, & poſteris ad eam imitandam incitamenta: fugam ita turpem ducere, vt ne ex domibus quidem corruentibus, aut incendio correptis fugere fas putent, in ipſum etiam mare armatos inſilire, tanquã illud quoque aut perterrefacere, aut vulnerare poſſint. quae iampridem Muretus ipſe collegit ad illum Horatij verſum,

Te non pauentis funera Galliae.

Illi Brenno duce opulentiſſimum Delphicum templum depraedati ſunt, quae tamen res eis infeliciter ceſſit. Vtinamq; vel hinc diſcerent, quanto maiori ſcelere ac periculo veri Dei templa violentur. Illi iam ante Romam ceperant: tantumq; fecerant terrorem ſui, vt eis bellum mouentibus, vacationes non valerent. Ita poſtea formidabiles fuerunt etiam remotiſſimis Graecorum gentibus, vt prouerbio diceretur, Τὸν φρᾶγκον φίλον ἔχε, γείτονα δὲ μὴ ἔχε.

QVA SOL ORITVRQ; CADITQ; In Oriente Cyprum, Iudaeam, alia: in Occidente Hiſpaniam ipſam deuicerunt.

GENITRIX. Sic Homerus Idam matrem leonum: ſic Pindarus vrbem Syracuſanam matrem virorum fortium vocat.

FELIX, O NIMIVM FELIX. Hemiſtichium Virgilij.

IN QVOS SAEVIRE. Alludere videtur ad fabulam Eriſichthonis, de quo Ouidius in octauo,

Ipſe ſuos artus lacero diuellere morſu

Coepit,

Coepit, & infelix minuendo corpus alebat.

Vlvlatibvs. Tanquam de muliere dixit. Virgilius. & femineo vlulatu. Homerus.

Αἱ δ' ὀλολυγῇ πᾶσαι Ἀθήνῃ χεῖρας ἀνέχον.

Ille tui nuper iuris tutela Tvanvs,
Quo ſe praecipue iactabant vindice leges.
Cuius ab omnigena purum mercede tribunal
Certus erat portusq́ bono, ſcopulusq́ nocenti,
Deſeruit terras. illa, heu, ſacra ora quierunt,
Quae merito iuris poterant oracla vocari.
Heu quonam illa abijt blando condita decore
Maieſtas vultus? quo vis, quo copia fandi?
Quo fugit illa viri, qua nunc vel maxime egebas,
Spectata in dubijs toties prudentia rebus?
Omnia praeteriere. his omnibus orba relicta es.

Tvtela tvanvs. Quaſi nomen ipſum Tuani a tuendo ductum ſit.

Ab omnigena pvrvm mercede tribvnal. ἀδωροδόκητον. & bene pvrvm. nam & iudices dona reſpuentes dicuntur καθαρεύειν καὶ ἁγνεύειν τὰς χεῖρας. Et notus eſt iocus in eum qui prouinciam compilarat: Laua manus & cena. Bene etiam Mercede: nam & venales iudices dicuntur μισθωτοί.

Portvsq. bono. Sic Cicero ſenatum, nationũ portum eſſe dicit. Portus igitur, quia nullum periculum, Tuano iudicium exercente, innocenti metuendum erat.

Scopvlvsq. nocenti. Sumptũ ex hiſtoria: L. Caſſij tribunal propter iudicandi ſeueritatem, ſcopulum

pulum reorum vocabant.

Oracla. Elegantia quaeſita ex vocum ſimilitudine. Ora, oracla.

In dubiis. Vt enim nauis, ita reip. gubernator in tempeſtate dubia optime cognoſcitur.

Toties. Quod ſemel, bis, terve factum eſt, caſu factum videri poteſt. At quod ſaepe, ex habitu eſt.

Aſpice pullata maerentem in veſte ſenatum:
Aſpice primores populi: queis vulnere tanto
Confuſis, ferriq́ꝫ videntibus omnia peßum,
Et ſua cuique mouent & publica damna dolorem.
Quid populũ, proceresve loquor? fluit humor ab illis
Ecce oculis, quos flere nefas, ſi vota valerent
Publica. flet iuuenis, ſceptro qui duplice clarus,
Caelum ipſum aſpectu ſolet exhilarare ſereno:
Nunc alio populi transfigit pectora telo.
Quin etiam ipſa comas capitis laniata verendi,
Turbidaq́ꝫ & ſciſſa incedens miſerabile palla,
Sãcta ſui exequias lacrimis Themis vrget alumni.
Scilicet humanis nulla eſt fiducia rebus.
Quid falſis fluxiſq́ꝫ bonis confidimus? vni
Certa fides caelo. fragili ſtant cetera ſorte.

Flvit hvmor. Regem ipſum flere ait.

Si vota valerent pvblica. Vniuerſus enim populus vota facit, ne regi quidquam flebile contingat.

Sceptro dvplice. Galliae & Poloniae.

Nvnc alio. Fit enim quaedam acceſſio doloris publici ex regis dolore.

Qvin etiam ipſa comas. Themis iuſtitiae dea putabatur: eam igitur miniſtri ſui morte maeſtam eſſe fingit.

Lacrimis themis vrget. Propertianum:

Deſine Paule meum lacrimis vrgere ſepulchrum.

Eſt autem vſitatum poëtis, vt quibus quiſque virtutibus praecipue floruit, eas in funere ipſius lamentari fingant: quomodo hic Themin, quae eadem & iuſtitia eſt, in funere Tuani, qui iuri dicundo ſanctiſſime praefuerat, lamentantem facit.

Scilicet hvmanis. Gnome.

Omnia quae votis homines communibus optant,
Contigerant vni: generis numeroſa vetuſti
Stẽmata, auum virtus, & opes ſine crimine partae,
Forma decens, miſtumq́ notans grauitate pudorem:
Non vaſti membrorum artus: ſed firma potensq́
Compages vigilem crebro traducere noctem, &
Aſſiduos ſtudiorum innoxia ferre labores.

Omnia qvae votis. Propoſitio generalis, quam poſtea per partes exſequitur.

Generis nvmeroſa vetvſti ſtemmata. Nobilitas.

Avvm virtvs et opes: Expreſſit Ariſtoteleam nobilitatis finitionem, qui in Politicis ait eam eſſe ἀρχαῖον πλοῦτον καὶ ἀρετήν.

Virtvs et opes. Vtrumque enim ſine altero imbecillum eſt.

Οὔτ' ἀρετῆς ἄτερ ὄλβος ἐπίσταται ἄνδρας ἀέξειν.

Οὔτ'

Οὔυτ' ἀρετὴ ἀφένοιο.

OPES SINE CRIMINE PARTAE. Commẽdatur hoc in vetere ſcolio, πλουτεῖν ἀδόλως.

FORMA DECENS. Euripides

Ἴδοιμι δ' αὐτοὺς ἔκγον' ἄῤῥεν' ἀῤῥένων
Πρῶτον μὲν εἶδος ἀξίους τυραννίδος.

INNOXIA. παθητικῶς. Vt apud Virgilium. Omnes innocuae.

Vix ſignabat adhuc terrae ſola ſat pede firmo:
Vix poterat certas audire & reddere voces.
Cum ſtudijs illum ingenuis pia cura parentum
Tradidit. ille animum diſcendi incenſus amore,
Impiger & curam doctorum, & praeuenit annos,
Ingenio monitus non expectante regentum.
Qualis Theſſalici pecoris generoſa propago,
Materno nuper depulſus ab vbere pullus,
Nunc campis inſultat ouans, nunc flumina tranat,
Iamq; ad olympiacos audax proludit honores.

VIX SIGNABAT. Horatianum.

Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo
Signat humum.

QVALIS THESSALICI. Elegans comparatio. Theſſalia autem optimos equos ferre putabatur.

DEPVLSVS AB VBERE. Virgilius.

Depulſos a lacte domi quae clauderet agnos.

IAMQ; AD OLYMPIACOS. Virgilius.

. . . & ſparſa ad pugnam proludit arena.

Ergo illum Aonides bifidi per culmina montis

Appren-

Apprenſum duxere manu. tum vertice ab vno
Monſtrarunt puero veteris decora ardua Romae:
Et tenera Arpinis lauere liquoribus ora
Non ſemel: atque auidas luſtrarunt ſaepius aures
Mantoaq; tuba, & Venuſini cruſmate plectri:
Et quos praeterea tulit Itala terra poëtis.
Inde aliud ſacri montis petiere cacumen
Tramite non trito, liberrimus vnde patebat
In Graios proſpectus agros, quos larga perenni
Copia veſtitos & fruge & flore coronat.

BIFIDI MONTIS. Parnaſſi. Eleganter autem duos illos vertices, duas linguas facit, Latinam & Graecam.

LVTRARVNT. κατάχησαν.

CRVSMATE. Ita vocant Graeci lyrae ſonum.

TRAMITE NON TRITO. Propter eorum, qui Graecarum litterarum ſtudio dediti ſunt, paucitatē.

ET FRVGE ET FLORE. Significat ſummam Graecae linguae vtilitatem pari amoenitate coniunctam.

CORONAT. Implet, exornat. Homerus.

Ἀλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει.

Idem.

Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο.

Hic plena Hyblaeo populans aluearia melle,
Condidicit miram magni Demoſthenis artem,
Miratus tonitrus, & non imitabile fulmen:
Miratus patrias cingentem moenibus arces,
Et cum Pellaeo ducentem bella tyranno.

HIC PLENA HYBLAEO. Euoluens ſcripta Graecorum. ἀλληγορία.

MIRATVS TONITRVS. Reſpicere videtur ad illud Ariſtophanis de Pericle. Ἤστραπτεν, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα. Cicero. Pericles ab Ariſtophane poeta, fulgurare, tonare, permiſcere Graeciã dictus eſt. Idem. Demoſthenis non tam vibrarent fulmina illa, niſi numeris contorta ferrentur.

MIRATVS PATRIAS. Cum vrbis Athenienſis moenia multis ex partibus labarent, delecti ſunt homines decem, qui ea ſumptibus publicis reficienda curarent, è ſingulis tribubus ſinguli. In hoc numero fuit Demoſthenes, qui ſumptibus ſuis partẽ ſibi adtributam refecit. ob idque publice corona aurea donatus eſt. vide illius orationem nobiliſſimam περὶ στεφάνου.

ET CVM PELLAEO. Philippũ dicit Macedonũ regem. Pella enim vrbs Macedoniae. Sic & Iuuenalis Alexandrum Pellaeum iuuenem vocat.

Vnus Pellaeo iuueni non ſufficit orbis.

DVCENTEM BELLA. Aſſidue enim orationibus ſuis Athenienſium animos acuebat aduerſus Philippum, neque cum eo pacem fieri patiebatur. Itaque eum vel maxime Philippus ipſe metuebat. Plutarchus.

TYRANNO. Nomen hoc Homeri temporibus incognitum, poſtea coepit iniuſte imperantibus tribui. At poetae etiam bonos reges interdum tyrannos vocant. Virgilius.

Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni.

Te quo-

Te quoque Maeonide grandi audijt ore canentem
Pelidaeq́ iram, reditumq́ ſagacis Vlixi,
Veraq́ ſub ſpecie miſcentem plurima falſi:
Addidit his quoſcũque alios vetus extulit Hellas;
Qui ſimul & iucunda docent, & idonea vitae.

TE QVOQVE MAEONIDE. Homerum dicit. PELIDAEQ. IRAM. Argumentum vtriuſque poẽmatis Homerici vnico verſu complexus eſt.

SAGACIS. πολυτρόπου. πολυμήτιος.

VLIXI. Genitiuus antiquus. Vlixes autem latine ſcribi debet: non, vt vulgo, Vlyſſes. etſi Graece Ὀδυσσεύς.

VERAQ. SVB SPECIE. Hac de re extat libellus Heraclidae Pontici. & multa ſunt apud Proculum in libros Platonis de republica.

HELLAS. Graecia.

QVI SIMVL ET IVCVNDA. Horatianum.
Aut ſimul & iucunda & idonea dicere vitae.

Mox maiora agitans, Academi inuiſere ſiluas
Inſtituit, celſiq́ ſimul ſpatia alta Lycei:
Non vt quae tenebris mundi ſator abdidit altis,
Naturaeq́ vias & tenuia ſemina rerum,
Fruſtra ea conquirens, ſtudio indulgeret inani:
Verum vt quae ſcriptis vitae praecepta regendae
Mandaßent illi, quorum ſapientia clara eſt,
Fontibus haec nitida & ſincera hauriret ab ipſis.

MOX MAIORA AGITANS. Exercitatus in ſtudijs

dijs poëtices & eloquentiae, adiecit animum ad philoſophiam.

Academi: Herois nomen eſt. ex cuius ſepulchro Academia nomen accepit. Platonicam autem philoſophiam ſignificat.

Silvas. Horatius. Atque inter ſiluas Academi quaerere verum.

Spatia alta lycei. Ariſtoteleam philoſophiam dicit. Recte autem ſpatia. ambulans enim docebat. Vnde Peripatetici. Recte, alta. erat enim ſuperior ambulatio.

Non vt quae tenebris. Non vt phyſicē diſceret, ſed vt politicen.

Tenebris. Ita Cicero, res naturae obſcuritate inuolutas. & ideo Democritus veritatem in altiſſimo puteo demerſam latitare dicebat.

Frvstra ea conqvirens. Hoc de Socratis ſententia dictū eſt, qui operam ludere dicebat eos, qui vnde fulgura, tonitrua, imbres fierent exquirebāt. auctor Xenophon in commentarijs. Omnem autem veram philoſophiam, aut certe eius ſummam vno Homerico verſu dicebat contineri.

Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

Stvdio indvlgeret inani. Non damnat vniuerſum philoſophiae naturalis ſtudium: ſed ea parte inane illud vocat, qua quaerunt phyſici acumine ſuo ad ea penetrare, quae naturali lumine cognoſci non queunt. de quibus dum inaniter diſputant, in plurimos & grauiſſimos errores incidunt. cuiuſmodi ſunt, Materiam primam creatam nō eſſe, Mundum fuiſſe ex omni aeternitate, Deum non cognoſcere

gnoſcere ſingularia, Animos humanos aut immortales non eſſe, aut ita eſſe immortales, vt tamen nihil cuiuſquã proprium maneat,& multa eiuſmodi impia & nefaria dogmata propter quae Tertullianus aduerſus Hermogenẽ philoſophos hereticorũ patriarchas vocat. Et de talibus videtur intellexiſſe S. Paulus in epiſtola ad Coloſſenſes his verbis. Videte nequis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam ſecũdum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecuudum Chriſtum.

Prima iuuenta genas iam flore vmbrabat opaco,
Cum ſignata legens patrijs veſtigia plantis,
Sic praecultum animũ grauioribus applicat orſis:
Et Romanarum ſinuoſa volumina legum,
Spiſſum opus, aggreditur vigili peruoluere cura:
Quod per iter cum alij longis ambagibus errent,
Et labiryntheis anfractibus impediantur:
Hic quaſi per planum directo tramite currens,
Anteuolat comites:nec tantum aequalia tranſit
Agmina, ſed canos linquit poſt terga magiſtros.
Talem Graeca obijſſe olim certamina Ladan
Fama refert, primo qui vix e carcere miſſus,
Fallebat ſpectantum oculos, metamq́; tenebat.

IAM FLORE VMBRABAT. Ex Mureto ipſo ſaepe audiui genus hoc loquẽdi ab Archilocho ſumptum eſſe.

SIC PRAECVLTVM ANIMVM. Cicero in Hortenſio. Vti qui purpuram volunt, ſufficiunt prius lanam medicamentis quibuſdam: ſic litteris,ta-

libuſq; doctrinis ante excoli animos,& ad ſapientiam concipiendam imbui, ac praeparari decet.

L a d a n. Curſor hic admirabilis fuit, de quo extat hoc epigramma.

Λάδας τὸ στάδιον εἴθ' ἥλατο, εἴτε διέπτη,
Δαιμόνιον τὸ τάχος, οὐδὲ φράσαι δυνατόν.

Solinus capite ſexto Polyhiſtoris. Ladas ita ſupra cauum puluerem curſitauit, vt arenis pendentibus nulla indicia relinqueret veſtigiorum. mentio illius & apud Catullum, & apud Ciceronem. Vide & Pauſaniam in Laconicis.

C a r c e r e. ὕσπληγγος.

F a l l e b a t s p e c t a n t v m o c v l o s. Magnū eſt oculos fallere. nullus enim ſenſus acrior. ſed multo maius fallere oculos ſpectantium: qui hoc vnum agunt, vt omnia plane peruideant.

Poſtquam aetas matura viro: iamq; ardua tempus
Munera tractare, & doctrinam oſtendere factis:
Ad defendendas primum hunc facundia cauſas
Deduxit, clypeumq; reis inſontibus vnum,
Mortiferae iuſſit fera tela repellere linguae.

P o s t q v a m a e t a s. Confecto ſtudiorum curriculo, ad res agendas tranſijt.

E t d o c t r i n a m o s t e n d e r e f a c t i s. Vere enim hoc Ariſtoteles dicit; finem Politices eſſe, non cognitionem, ſed actionem.

A d d e f e n d e n d a s. Praeclare. Oratorum enim virtus in defendendo nō in accuſando poſita eſt. ideoq; Cicero labores ſuos forenſes, defenſionum

ſionum labores vocat, principio Tuſculanarum. & in Verrem dicturus, ſummo ſtudio conatur efficere, vt non tam Verrem accuſare, quam Siculos defendere videatur.

CLYPEVMQ. Illuſtribus oratoribus poſt mortem clypeus ſacrari, & in curia appendi ſolebat. Auctor Tacitus.

Semper ſponte ſua petit vlteriora ſibiq;
Ipſa viam meritis facit ad ſublimia virtus.
Ante alias quaſcunque opulēta amplectitur vrbes
Gallia; tam longe caput vna Lutetia tollit
Ardua quàm ſuperant humiles pineta geniſtas:
Nec vero indecores aliae: ſed luna minores
Obruit vt ſtellas, fraterna vt lumina lunam,
Sic decus omne aliarum haec collata vnica delet.

SEMPER SPONTE SVA. Expoſiturus, quemadmodum Tuanus ad ſublimiores honoris gradus peruenerit, praemittit ſententiam: virtutem ambitione non egere: ipſamq; ſuapte vi ſemper altius prouehi. Plautus.

Virtute ambire oportet non fauitoribus.
Sat habet fauitorum ſemper qui recte facit.

ANTE ALIAS. Prima vrbs Galliae Lutetia. primus in Gallia ſenatus Pariſienſis. primus in ſenatu Pariſienſi Tuanus.

CAPVT. Imitatio Virgilij.

Verum haec ante alias tantum caput extulit vrbes
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

NEC VERO INDECORES ALIAE. Non

magnum eſt excellere : ſed inter pulchra excellere, id demum magnum eſt.

Sed luna minores. Horatius.

. . . micat inter omnes
Iulium ſidus, velut inter ignes
Luna minores.

Hic ſibi iampridem ſedes Aſtrea locauit:
Marmoreum hic illi templum, laqueataq; tecta
Sumptibus immenſis reges ſtatuere vetuſti.
Quo bis centeni, lectiſſima pectora, patres
Conueniunt, quot eunt ſoles, mactantq; verendis
Rite deam ſacris, & certo faſq; nefasq;
Fine regunt, ipſaq; afflante oracula reddunt.
Conſilioq; ſuo regni moderantur habenas.

Hic sibi iampridem. Aſtream veteres vocabant iuſtitiam, aut iuſtitiae deam, quam Iouis & Themidis filiam eſſe dixerunt. Ouidius:

Vltima caeleſtum terras Aſtrea reliquit.

Hanc igitur dicit quaſi domiciliũ quoddam elegiſſe Lutetiae, propter ſummam Pariſienſis ſenatus iuſtitiam & dignitatem. Omnino autem Aſtreae nomine per allegoriam intelligit iuſtitiam diuinam: quae eadem eſt cum ipſo Deo.

Marmoreum hic illi. Palatium intelligit in quo Lutetiae ius redditur.

Quo bis centeni. Non ſunt plane ducenti, neque tamen longe ab eo numero abſunt: ſed hic numerum rotundare voluit, more poëtarum.

Lectissima pectora. Neque enim aſſumuntur

muntur in eum ordinem, niſi qui & eruditione, & iuſtitiae opinione praeſtant: ita vt Conſeſſus ille, flos ſit totius Galliae.

QVOT EVNT SOLES. Quotidie. Sic Horatius.

Quotquot eunt dies.

MACTANTQ. Non tantum mactare hoſtias dicimus: vt Virgilius.

Caelicolum regi mactabam in littore taurum.

Sed & mactare Deum hoſtijs. Plautus Amphitruone.

Quia enim te macto.

Cicero in Vatinium. Cum puerorum extis deos manes mactare ſoleas. ſic igitur & hoc loco, mactare deam ſacris.

VERENDIS. Ita loquutus eſt, vt veteres de myſterijs & orgijs loquebantur.

RITE. Verbum ſacrorum.

DEAM. Deum ipſum intelligit. ſed feminino genere vtitur propter nomen Aſtreae.

SACRIS. Sacrificare Deo videtur, qui ius ſuum cuique reddunt.

FINE REGVNT. Verbum iuris. inde enim actio finium regundorum. Ouidius.

Cum ſua quiſque regat diuerſo flamina tractu.

Tibullus,

Qui regeret certis finibus arua lapis.

ORACVLA. Ita vocat decreta ipſius Senatus.

Hos inter primo ipſa loco Dea magna Tuanum
Collocat: & Noſtri princeps, ait, ordinis eſto.

Ille Deae imperium, ſolio ſublimis eburno,
Exſequitur,poenaſq; uiris & praemia ponit.
Nec mora:diffugiunt fraudes, fugit improba longe
Gratia, quaeq; auidas peruertunt munera mentes.
Nil odium, nihil ira poteſt. diſcrimine nullo;
Nobilis an plebeius:inops an diuite cenſu,
Solus, an hinc illinc magnis ſtipatus amicis,
Cōſequitur ius quisque ſuū:trutina oībus aequa eſt.

PRIMO IPSA LOCO. A Iuſtitia ipſa Tuanum principem Senatus conſtitutum eſſe dicit, vt oſtendat,neque ambitu,neque pecunia in eum locum perueniſſe.

POENASQ. VIRIS ET PRAEMIA PONIT. Democritus ijs duabus rebus omnem rempublicam contineri putabat,poena et praemio.

DIFFVGIVNT FRAVDES. Ita quaſi de animatis loquitur, quam Ariſtoteles vnam de præcipuis elocutionis virtutibus eſſe dicit.

Viginti totos ita iuri praefuit annos,
Vt nulla interea macula violauerit oſtrum
Quod ſemel induerat: non tantum criminis expers,
Sed neque ſuſpectus cuiquam, tactusve querela.

VT NVLLA INTEREA MACVLA. Purpura induuntur praeſides ſenatus Pariſienſis. allegorice autē dicit eum ſemper integre & incorrupte iudicaſſe.

NON TANTVM CRIMINIS EXPERS. Reſpicit ad dictum Caeſaris, qui dicebat, domum ſuam

non tantum crimine, ſed etiam ſuſpicione criminis carere oportere.

Non talem patiens ſortita eſt Sparta Lycurgum:
Quāquā illū, ambiguus diuūne hominēne vocaret,
Mox potius diuos inter numerauit Apollo,
Neu noſtro ante ſuum ferat Attica terra Solonem,
Neve ſuum Minoa, tui quae Iuppiter vna eſt
Conſcia vagitus & conſcia Creta ſepulcri.

Lycvrgvm. Cum Lycurgus vir inter Spartiatas nobilis Delphos ad oraculum veniſſet, ingredienti ei redditum eſt reſponſum ab Appolline, quo Apollo ipſe dubitare ſe fatebatur, deum illum an hominem diceret: ſed ſtatim addidit, ſe eum dijs potius annumerandum praedicare. Hiſtoria extat apud Herodotum libro primo.

Svvm. Quaſi Tuanus Gallis Solo quidam fuerit.

Solonem. Hic vt notum eſt, leges Athenienſibus dedit.

Nevе svvm minoa. Hic Cretenſibus leges tulit, vt eſt apud Platonem primo libro de legibus. Homerus eum nouem annos Iouis auditorem fuiſſe dicit. Propter ſummam iuſtitiam creditus eſt iudex inferorum.

Conscia vagitvs. In creta Iouem natum eſſe dicebant: in Creta etiam ſepulchrum ipſius oſtendebant: ſed hoc nomine Callimachus Cretenſes vt mendaces accuſat.

Obtigit has inter, dictu mirabile, curas
Firma valetudo, & nullis obnoxia morbis,
Atque inconcuſſo decurrens vita tenore:
Non vulgare Dei munus ſimul, & ſimul ingens
Compoſiti argumentum animi. nam turpiter acta
Vt celeres ducit canos florentior aetas,
Et parit infirmes morbos, aegramq́; ſenectam:
Sic ſenium iuuenile ſeniliter acta iuuentus.

OBTIGIT HAS INTER. Tuanum dicit, cum diu admodum vixerit, perpetuò firma valetudine inter multos labores vſum eſſe: quod & maximum Dei munus eſt, & argumentum temperantiae. Nam Hippocrates quoque affirmat intemperantiam quaſi fontem quendam morborum eſſe.

NON VVLGARE. Nam etiam in verſibus, qui pro foribus templi Delphici legebantur, bona valetudo, vt optimum quiddam commendatur. λῷστον δ' ὑγιαίνειν.

Sed nihil in terris ſtabile aeternumve putandū eſt.
Omnes incerto nos ordine certa manet mors
Aeternum aut miſeros aut effectura beatos.
Vt matrem annoſam iam mitia poma relinquunt
Sub finem autumni, contactaq́; frigore primo
Sponte petunt terram: nitidi vt flos aureus ignis
Deſerit arentem, conſumpta Pallade, lychnum:
Sic aegros ſenio, & vitali humore carentes
Deſeruit mens ſancta artus caelumq́; petiuit.

Sed nihil in terris. Euripides. Θνητῶν δὲ θνητὸς ὄλβος.

Vt matrem annosam. Duabus comparationibus eleganter oſtendit mortem naturalem, minimeq́; violentam. Vtraque autem ex Cicerone eſt, cuius haec ſunt in Catone Maiore. Itaque adoleſcentes mori ſic mihi videntur, vt cum aquae multitudine vis flammae opprimitur: ſenes autem, ſicut ſua ſponte, nulla adhibita vi, conſumptus ignis extinguitur: & quaſi poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, vi auelluntur, ſi matura & cocta decidunt: ſic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas.

Flos avreus ignis. Sic Aeſchylus ἄνθος πυρός.

Consvmpta pallade. Oleo. Ouidius:

Vt vigil infuſa Pallade flamma ſolet.

Verte age Muſa modos, vultusq́; reſume priores,
Dicamus bona uerba. nefas lugere beatos.
Mitte ſuperuacuo contundere pectora planctu,
Et lacrimarum imbrem populoſa Lutetia ſiſte.
Ille tuus praeſes, flammantibus additus aſtris,
Credita iam cernit, ſperataq; gaudia carpit,
Nec veterem tamen erga te deponit amorem.

Verte age. Hucusque Tuani mortem deplorauit nunc ei vt in caelum euecto gratulatur.

Dicamvs bona verba. Εὐφημεῖν χρή.

Nefas lvgere beatos. Ex philoſophorũ ſententia dubium non eſt, quin Tuanus beatus vocari queat. nam & uſque a puero virtuti deditus fuit, &

eam perpetuo exercuit,& diu vixit,& proſpera valetu dine vſus eſt, & ſummis honoribus functus: & vxorē ac filios habuit ex animi ſententia,& cum eos,cum ceteros propinquos atque affines ſummis honoribus florentes vidit, & diſceſſus a vita ipſi vitae conueniēs fuit. Sed & Chriſtiane loquendo,eum, cuius, quātum quidem homines iudicare poſſunt, vita integra & inculpata fuerit,qui a catholica religione nunquam deſciuerit, & priuatim & publice,quantum in ipſo erat, omnium commodis ſeruierit, nihil denique prætermiſerit eorum quae Chriſtianum hominem decent, ſperare debemus in locum pijs a Deo deſtinatum peruenisſe: etiam ſi id pro certo & explorato affirmare non poſſumus. quare haec ita accipienda ſunt, vt ex ſpe & voto potius dicta quàm ex certa & explorata ſcientia. ſic & S. Ambroſius in oratione de obitu Valentiniani Imperatoris, non veretur eum ita alloqui. Proſpicis nos igitur ſancta anima, de loco ſuperiore tanquam inferiora reſpiciens. Exiſti de tenebris iſtius ſaeculi,& vt luna reſplendes,vt ſol refulges. Sed & de Gratiano,& de Theodoſio eodem modo loquitur. & tamen,vt cetera taceantur, Valentinianus ſine baptiſmo deceſſerat. Non igitur arroganter affirmare vult Muretus Tuanum caelo receptum eſſe: ſed id ſcribit, quod & cupit verum eſſe, & veriſimiliter de tali viro ſperari poteſt.

Mitte svpervacvo. Sic Horatius.

. . . . & ſepulchri
Mitte ſuperuacuos honores.

Credita iam cernit. In beatis fides amplius non eſt. vident enim quod crediderant. ne ſpes

quidem. Fruuntur enim eo quod ſperarant : ſola caritas perpetuo durat.

Nec vero eſt, quod te deſertam orbamue queraris :
Quid dubitas? viden' vt patrios renouarit honores
Crudus adhuc aeui, primoq; in flore iuuentae
AVGVSTVS, tanti ſpirans genitoris imago?
Hoc tu vnquam incolumi, tibi fas lugere putabis?
Cerne duos etiam generos, duo ſidera regni;
Conſpicuum cunctis excelſa e ſede PHILIPPVM;
Regia firmantem impreſſo decreta ſigillo,
Aut reſcindentem; ſi quid vel gratia pellax
Elicuit; tantoue oppreſſum pondere rerum
Effugit Regem iuſto quod pugnet & aequo.
Quiq; meis olim fecit ſtipendia caſtris,
Dū ſaltus ſequitur Muſarū, HARLAEVS ACHILLES
(Nec leuis a tali mihi gloria ſurgit alumno)
Qui patris & ſoceri veſtigia pone ſecutus;
Aequatos titulis, prope iam virtutibus aequat,
Maiora aſſidue ſpondens: tantum inſtar in illo eſt.
MVRETVS dominae iam non nouus incola Romae;
Haec, AVGVSTE, tibi maeſtae ſolamina mentis
Dum meditor, nomenq; tuum, nomenq; parentis
Saepe tui grato reddit mihi murmure Tibris
Et ſeptemgemini reſonant mea carmina colles.

AVGVSTVS. Iacobus Auguſtus Tuanus Chriſtophori filius, conſiliarius regius in ſenatu Pariſienſi.

DVO SIDERA REGNI. Imitatū ex illo Virgilij
. . . . . *duo fulmina belli*.

PHILIPPVM. Philippum Huraltum, magnum

hodie

hodie Galliae cancellarium.

REGIA FIRMANTEM. Notandum eſt in his uerſibus quanta ſit in Gallia cancellarij auctoritas.

HARLAEVS ACHILLES. Hic nunc ſucceſſit in locum Tuani ſoceri ſui. Muretum autem olim Lutetiae docentem diu audiit.

QVI PATRIS. Nam patrem quoque habuit in eadem curia Praeſidem.

PROPE IAM. Nondum enim ad eam ſenectutem peruenit: neque tamdiu in illo munere uerſatus eſt.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

175

Series chartarum.

A B C D.

Omnes ſunt Quaterniones.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
EMANUELE

R O M AE

Ex Aedibus Accoltianis.

M. D. XXCIV.

De moribus in mensa servandis

Vobis prudentis credere consilia
Plurimis abstinuisse juvat

Nobis [illegible] [illegible] quid humana quies
Inter dubias rebus [illegible] angustias

Parum eruditus abundat

Quidis cura sibi meliori manu para

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

3

CARMEN IVVENILE SVLPITII VERVLANI DE MORIBVS IN MENSA SERVANDIS.



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

IMPRESSVM ROMAE.

Quos decet in menſa mo-
res ſeruare docemus.
Virtuti ut ſtudeas litteru
liſq; ſimul.
Quæ prius admoneo niti
puer indole ſerua.

Præque tuis oculis hæc mea iuſſa tene.

Sit ſine labe toga, & facies ſit lauta manuſq;

Stiria nec naſo pendeat ulla tuo.

Et nihil emineant, & ſint ſine ſordibus ungues

Sit coma, ſit turpi calceus abſque luto.

Linguaq; non rigeat, careant rubigine dentes,

Atq; palàm pudeat te fricuiſſe caput.

Exprimere et pulices ſcambiemq; urgere nocentem,

Ne te ſordidulum qui uidet iſta, uocet.

Seu ſpuis, aut mungis nares, nutáſue memento

Poſt tua concuſſum uertere terga caput.

Mucorem aut tangas digitis, ſputùmue reſorbas:
Panniculo naſum mungere namq; decet.
Et ructare caue quin ora in terga reflectas.
Stringe os & crepitum coge tenere nates.
Mundiciæque tibi placeant, medio quoq; cultu
Vtere, ne turpis uel uideare leuis.
Nec male dicta refer, nec promas turpia dictu,
Eſt ſtomachoſa quidem dicere turpe tibi.
Moribus urbanis curato præditus eſſe.
Parce gulæ turpi, luxuriamque fuge.
Parce & auariciæ, bilem frænare memento.
Inuidulus, tumidus, non odioſus eris.
Deſidiam fugies, atque ocia turpia pelle,
Et ludi turpes ſint procul atque uiri.
Fidus ſis audenſque bonis, temerarius eſſe
Deſpice, non audax ſis timiduſque nimis.
Nec penitus mutum, nec te decet eſſe loquacem.
Conuenit ille thoro conuenit iſte foro.

Et manſuetus eris, rectum te lectus habebit.

Detege nec ſocium, nec tua membra moue.

Nec ſis difficilis nimium, nec credulus eſto:

Dedecus & metues & reuerere bonos.

Futilis & mendax nunquam nimiumq; ſeuerus

Eſto, ſed & comem munificunq; uelim.

Sis pius, atque colas ſuperos, uenerare parentes:

Et noceas nulli, ſurripiasque nihil.

Nec ſis uinoſus quamuis potaſſe Catonem

Fama refert, fugias ſumere uina mera.

Non ſis deriſor, non ſomniculoſus, iniquus,

Non iudex, nec tu teſtis iniquus eris.

Omnibus in rebus ſtudeas precor eſſe modeſtus,

Sis auidus laudis, ſit tibi cura boni.

Sic bene moratum laudabimus, atque colemus,

Sic & honoratus eris, ſic eris ipſe grauis.

Nunc faciles aures, animum quoque redde ſerenum;

Morigerare mihi, mollia iuſſa dabo.

Non ſum qui laudem ſummo te accumbere mane:

Iudice conueniens me dabit hora cibum.

Nec uos ante focum coenas producite longas:

Hoc faciat caupo: qui ſapit iſta fugit.

Sterne thoros nitidè, lautoſque appone quadrantes,

Atque ſalem, & cererem, flumina, uina, dapes.

Te uitare uelim, cupidus ne (ut lurco) ſonoras

Contractes fauces: mandere rite decet.

Et licet antiqui cubuiſſent pectore prono,

Te colla hæc ætas recta tenere iubet.

Et ſinito menſæ cubitis hærere potentes,

Tu tantum faciles pone repone manus.

Tuque puer iubeo ſed eas uel raro ſed aſtans.

Pocula mitte celer poneue tolle dapes.

Iuraque conuiuas ſuper importare miniſter

Effuge: nam turpis ſæpe ſit inde toga.

Quodque iubebit herus facilis ſemperque ſubito:

Quemque tibi dederit tu tibi ſume locum.

Quòque uir egregius pauido tibi porriget, illud

Sume libens grates; aptaque uerba refer:

Eſto tribus digitis, magnos nec ſumito morſus:

Nec dupl ces offas mandere utrinque iuuet.

Dapſilis, & largus ſemper, blandeque ſodali

Impartire tuo pauperibuſque dapes.

Nec uos obſcoenos laudabimus aut comedones.

Eſſe decet uiuas, uiuere non ut edas.

Namq; cibus nimius capiti, ſtomacoque nocebit,

Corporis, & uires, ingenijque rapit.

Cauſape non macules aut pectora, nec tibi mentum

Stillet, ſitque tibi ne manus uncta caue:

Sæpe ora, ac digitos mappa ſiccabis adapta.

In quadra faciet non tua palma moram.

Quod tibi uicinum fuerit ſume, atque ſodali

Cede tuo, referet dum tamen ille manum;

Dumque in fruſta ſecat caueas ſumpſiſſe reciſa.

Lurco legit dulces abſque pudore bolos.

Non manibus gremio immiſſis tibi uellicet unguis
Quod ſumes, reſidens non agitato pedes.
Incidasque prius quam dens contundito fellam,
Tingatur rurſus ne tibi morſa caue.
Nec linguas digitos, nec rodas turpiter oſſa.
Aſt ea cultello radere rite potes.
Siue ſuper menſam cortex cumuletur, & ipſa
Oſſa, uel in pateram præ pedibus ue iace.
Nec tanquam ficos tenta, nec dilige fruſta
Et quocũque manus huc tibi lumen eat.
Nec ſocium toruè aſpicias, quidue ederit ille
Aduertas, geſtus inſpice ſæpe tuos.
Pocula cum ſumes tergat tibi mappa labella,
Si terges manibus non mihi charus eris.
Vna manus ſumat pateram, ni hanc iactet in hoſtem,
Theſeus, aut belli, ſint monumenta patris.
Aſt hanc ſi binis manibus captabis, id apte
Efficies, digitis pocula ſume tribus.

Et teneas oculos nec ſupra pocula fare.

Plena aliquo uita ſit tibi bucca cibo.

Deme merum cyatho, multum ne forte ſuperſit,

Quod nolit ſocius ſumere ſponte tuus.

Qui ſapit extinguet multo cum fonte falernum.

Et parco lympham diluet ille mero.

Non facias binos hauſtus, nec feßus anhelcs.

Sibila nec labris ſtridula prome tuis.

Nec citò ſorbebis uelut oui lutea grati,

Nec nimium tarda ſume falerna mora.

Vnum ſume, duo, ad ſummum tria pocula ſumes:

Hunc numerum excedens iam mihi potus eris.

Fac uideas quodcunque bibes, modicumque pitißa.

Crater, ſiue calix det tibi uina breuis.

Os quoque tergebis ſemper poſt pocula, palmas

Ablue cum menſam deſeris, atque labra.

Inflectenſque genu: iungens quoq; brachia proſit

Dicito, ſed tolles ordine quæque ſuo.

FINIS.

Mulier [illegible] difficili invenitur
constante [illegible], in mille virum
bonum inveniet, in vedub autem b[illegible]
mulierum non inveniet 182

Quid autem est aliud mulier nisi
amicitie inimica, ineffugabilis
pena, necessarium malum, na-
turalis temptatio, desiderabilis calam[itas]
domestiorum periculum, delectabil[e]
detrimentum, mali natura, [illegible]
boni colore depicta :~

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINE

183

60.

184

FINE